QVAESTIO MEDICA

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA, IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XXVII. IANVARII. M. IOANNE BOVRGEOIS DOCTORE MEDICO MODERATORE.

710

An præcauendo hydropi venæ sectio?

Y"Δρωψ idem quod ὕδερος, symptomatis & morbi nomina, quamuis plurimarum corporis partium affectus sit, capitis, pulmonis, vteri, testium: peculiariter tamen & propriè eum abdominis tumorem exprimit, qui vtri similis, præter naturam est, & quem aut aquarum aut spiritus collectio facit. Hinc illius gemina tantùm species, ἀσκίτης & τυμπανίας: quarum licet hæc minoris, ambæ tamen sunt maximi periculi plenæ, diuturnæ. Nam tertia quæ circumfertur idea, omnium securissima, & quæ in tumorum per totam corporis compaginem oborientium inæqualitate percipitur; non, vt illæ, hydrops simpliciter, à figurâ; sed ὕδερος (à communi materiâ) ὑποσαρκίδιος, à propriâ formâ, nuncupatur. Hîc totum corpus pallidum cernere est, laxum, molle, graue, pigrum, mortuo simile, extrema primùm tumida; quibus, si firmiùs digitum apprimas, cauitas remanet, & impressum diu (nisi flatum comitem habeat) hæret eius vestigium; mox reliquum corpus. At in tympanite, totus venter à spiritu flatulento in maximam elatus molem tympani modo resonat, nec tantus ponderis sensus quantus in ascite percipitur: in quo pars eadem quæ in illo, verùm aquis plurimis distenta, fluctuantis vndæ aut murmur exprimit, aut eius impetum, si abdomen impellitur, vel in latus alterutrum corpus prouoluitur. Vterque simplex rarus est, in quo sensim corpus minuitur, vultus (ni, quod sæpe solet, ἀνασάρκα consequatur) à naturali habitu minùs recedit, & si locum manu tentas deprimere, digitum figere, protinus resilit ac resistit.

EST criticus aliquando hydrops ab humorum συναθροισμῷ, qui fit superstite nutritiarum partium natiuo robore, à simplici & semel contractâ in aqualiculum aquarum collectione, aut externum corporis habitum ablegatione. Non rarò inexplebilis in ardenti febre sitis (quæ liquidi, non frigidi; vt fames solidi, non calidi desiderium est) labor immodicus, ac insolatio diuturna nimium aquarum ἐπισπάδην potum sollicitant: quæ si non fuerint à naturâ, vel arte suscepto vomitu, sudore, diarrhœâ, perirrhœâ liberaliter exclusæ, in toto corpore aquam inter-cutem, in ventre ascitem gignent. Aliàs vrinæ in renibus, aut vesicâ suppressio, atque eius facta per intimos venæ cauæ tubos in nobile viscus ἀναδρομὴ, vtrumque peperit; quem solus citò obortus hydrops ad matulam soluit. Nonnunquam febrilis materia in commune corporis emunctorium vnà cum sanguine coëffusa, vel à toto per venas & arterias in abdomen & mesenterium deposita idipsum efficit. Aliquando ruptæ in ipso mesenterio, splene, intestinis, pancreate, sæpius verò hepate ὑδατίδες; aut ibidem natæ, pure, sero, & ichore turgentes vomicæ vtriformem quoque hydropem referunt: qui vt sagaci Medico non parum imponit, sic dum tardè atque difficulter cognoscitur, moram periculo, curam morte anteuertit. Hîc Pindarus adesse optaret ἐπιχειρότατον, qui Hippocraticum illud probè sciat & iubeat, αὐτίκα τάμνειν.

AT symptomaticus ἐπίπονός ἐστι καὶ ὀλέθριος perenni aquarum & flatuum generatione. Mali corui, malum ouum; & symptomatis pessimi, ἀποτυχίας τοῦ τῆς αἱματώσεως ἔργου, symptoma pessimum. Hæc vt semper huic hydropi anteit, sic & summam naturaliũ partium, an semper hepatis? an solius? labem consequatur necesse est. Satis est, si vndecumq; conficiendi sanguinis cesset opus. Siue enim sanguis à maiori, & voraciori liene nimiùm exugatur; aut ab eodem minori, pigriori, duriori; obstructâue fellis vesiculâ, hæmorrhoïdibus, & vtero non ampliùs expurgetur: siue hepar eâ, in quam agere natum est, materiâ defraudetur, aut in minùs laudabili operetur: siue ipsum à debitâ sibi temperie procul sit egressum, per insignem, in omni genere, sæpius tamen calidam atque siccam, rariùs frigidam & humidam δυσκρασίαν, aut parente satam & coæuam, ac vtramque simul cum ætate diætæ vitio increscentem; aut primò inuectam aliunde prauâ victus lege, febrili ardore, partium in imo medióque ventre contentarum sympathiâ, profuso humorum aut sanguinis effluuio: vtrobique iecur, illic quidem in opere suo impeditum, suffocatum, scirrho induratum; hîc ἄτονον, impensè refrigeratum, aut à cœco igni radicalem eius succum ocyùs depopulante exsiccatum, assum, frixum, retorridum, pro laudabili sanguine nunc tenuem, crudam, & cineritij atríue coloris pituitam in venosum genus, ab hoc in habitum fundit. Nunc eadem illuuies à vasis, erosis, ruptis aut apertis, fissâ discissâve hepatis tunicâ in peritonei, & intestinorum intercapedinem torrentis modo affluit: nunc paulatim per διαπήδησιν, roris instar, in eundem alueum depluit: nunc denique sub vaporis formâ eò peruadit.

VANA omnino est, quæ hydropi ab hepatis ἀτονίᾳ; vt valde dubia, quæ morbum acutum subsequenti adhibetur curatio! An quia calidæ intemperiei frigida superueniens insanabilis est? An quia potiùs iecoris & huic ministrantium partium τοῦ μαρασμοῦ περιφρυγοῦς, ἀνιάτου, indéque penitus exolutæ facultatis hepaticæ valida suspicio est. Hanc tibi firmabunt coniecturam totius corporis cachexia, atrophia, sitis inexhausta, tussis, lingua sicca, vstulata, lenta febris somno ingrauescens, iactatio, vigiliæ, vrinæ paucæ, turbidæ, deiectiones nunc pilulatæ, duræ, parcæ, nunc loturæ carnium similes, nunc sanguinis fæci, hepaticorum indices. At ei qui à constante adhuc hepatis robore κατ᾽ἀπόςασιν natus est, aut ab eo in suo munere impedito factus, auxiliatrices θεῶν χεῖρας audacter admoue, ad coniunctam morbi causam vacuandam nullâ factâ morâ te accinge, frequentiùs iteratis enematis, catharticis, hydragogis, emeticis, diaphoreticis, diureticis, pyroticis, vesicatoriis, vulnusculis, vlcusculis in cute factis, modò his & modò illis pro variâ humoris ideâ, & eâ quâ fertur viâ seligendis. Hęc omnia, in ascite quidem, sæpe sola & fœlicissimè complebit παρακέντησις citò instituta. Apage reliqua, cataplasma è cochleis, fimo columbino, caprino, bubulo, volutationem in arenis, frictiones, insolationem, vnctiones, nimis ignauia. Præstabit vnguento de arthanitâ maiori ventrem illinere, quàm ei lapillum colubris fluuiatilis, ridiculam populi fabulam, è collo suspensum apprimere.


FRVSTRA tamen studes contentorum vacuationi, nisi in eorum prohibendâ generatione sedulò incumbas. Id faciet, non sicca diæta, sed humida; non potus abstinentia, guaiaci decoctum, vrinæ aut meri potus, sæpe mortifera. Nusquam tam vtile lac asinæ quàm nunc, nusquam (præcauendo tamen magis quàm curando) aquæ minerales. Omne secum feret punctum pro ægri naturâ & viribus partita sanguinis detractio. Sed longè tutiùs, & Medico prouidentiâ vtenti magis dignum, ne in eo, cuius & naturæ & temperamento est congener, hydrops eueniat, diligenter præcauere, aut ne alterius morbi consectarius sit, impedire; quàm genitum idoneis auxiliis oppugnare. Ægriùs eijcitur quàm non admittitur malus hospes. Hydropem metuit biliosus? sanguineus? atrabilarius? splenicus? sitibundus? (largo aquæ haustu quauis horâ, etiam instante somno proluendus) vultu supra modum rubicundus? hydropico natus? iure. Vitare cupit? alterutrius brachij sæpe venam, interdúmque pedis chirurgo præbeat diuidendam. Præuidet Medicus longis alui profluuiis, prælargis hæmorrhagiis vndecumque factis, licenter proruptis, aut suppressis solitis ac solemnibus quibuslibet euacuationibus, acutis febribus atque diuturnis successurum? imminentem nascentémque cernit ex coxarum atque imi ventris doloribus? circa vmbilicum & ilia torminibus, quæ nec diarrhœis nec medicamentis vllis cedant? pedum tumoribus? iisdémque modò dextrâ, nunc sinistrâ ventris parte euanescentibus, ac redeuntibus? Non habet, quo hunc arceat, venæ sectione præsentius & virtute præstantius. Enimuero illa viscerum omnium natiuum calorem auctiorẽ, aut ascititium (qui cum illo vnus idémque fit) acriorem temperando, suffocatum recreando, febrilem feruorem extinguendo, sanguinem refrigerando, sistendo, reuellendo, ad περιφερίαν reuocando, calore liquatum incrassando, aut crassum attenuando, obstructa soluendo, plethoram tollendo, plurimum humorem morbificum excludendo, hydropis causis resistit séque firmiter opponit.

Ergo præcauendo hydropi venæ sectio. 156

Proponebat Lutetiæ NICOLAVS BRAIER Castrithierricus, Anno R. S. H. M. DC. XXVIII.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Iacobus Iouuin,
M. Petrus Sauarre,
M. Hermannus de Launay,



M. Philippus Harduynus de S. Iacques,
M. Helias Beda,
M. Franciscus Desfrançois,



M. Iacobus Lætus,
M. Ioannes Riolan, P. R.
M. Andreas le Gros.

